eo qua ratione ex detrita aurata veste aurũ colligi possit. Ex inauratis metallis quomodo id fieri queat tradit Vannocius Biringucius lib. pyrotechniæ. 9. cap. 10.

## CAP. NONVM.

EVERTAR NVNC AD MINII TEMPERATVRAM. Diuersum est hoc à Minio Dioscoridis. Nam lib. 5. cap. 100. scribit ex quodam lapide argenteæ arenæ mixto temperari. In esquiliis, vinea hodie Ioannis Gadi, & ei proxima, sunt reliquiæ, vt suspicantur aureæ domus Neronis, ego verò Palatii Titi esse, potius dixerim, in his elegantissima cernitur pictura, quam cũ admirarer edaci tempori non cessisse, sed ita obluctatam esse, vt recens induci videantur colores, eorũ præter alios dici vix queat quantũ nobis arriserunt duo nostro sæculo non imitabiles, luculente & temperanter rubens vnus, alter læte virentis segetis modo. Illum nisi Minium esse, hunc nisi Chrysocollam, adduci non possum vt credam. TVNC CERAM PVNICAM IGNI LIQVEFACTAM. Idest candidam ceram. Quo autem fiat modo scribit Plin. lib. 21. cap. 14. Ventilatur (inquit) sub dio sæpius cera fulua, deinde feruet in aqua marina ex alto petita addito nitro, inde ligulis eligũt florem, idest candidissima quæq;, trãsfunduntq; in vas, quod exiguũ marinæ habeat frigide, & rursus materiam decoquũt separatim, dhinc vas ipsum refrigerant, & cum hæc ter fecere, iuncea crate sub Diuo sicco Sole, Lunaq;, hoc enim candorem facit, si sic siccatur, & ne liquefaciat,